Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1457
Quelle:
Copyright:

I. p. 666. et *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. 17. p. 36.

XVIII. *fol.* 223. p. 2. *Metrica conpilacio de replicacionibus contra Magistrum Johannem.* Rhythmi, ut videtur, a quodam *Wiclefi* cliente fabricati in ejus Adversarios, qui identidem *Wyt aoraj* adpellantur, id, quod eruditus Anglus interpretetur; sub literis enim illis ab se invicem divisis plures voces latere vel lex rhythmi evincit. Initium est hujusmodi:

Heu quanta (quae?) *desolacio anglie prestatur*
Cui regnum quodlibet hinc inde minatur
Et eius nauigium pene conquassatur
Regnum (nec) *consilio nec ope iuuatur*
Wyt a o r a j pre dolore ventris
Meum iam consilium latet in vi mentis &c.

Nomine comparent *Nicol*, *Herford*, *Cromphorn*, *Repinton*, *Bayherd*, *Wiclefus* ipse, alii. De quibusdam horum mentio est in P. I. *Comment. Rer. in Eccl. gestar. Joh. Foxi* p. 18.

XIX. *fol.* 225. *Tractatus*, ut e calce adsumo, *de quatuor sectis nouellis et earum erroribus ecclesie infectiuis.* Initium: *Secundum tres virtutes Theologicas fideles quidam supponunt* &c. Sectae hae IV. Nostro sunt *Sacerdos Caesareus*, quo *dotatum* intelligit, *Monachus*, *Canonicus* et *Frater*. Vide et superius N. VI.

XX. *fol.* 233. *Cruciata*, seu, ut *Baleus*, *Contra Cruciatam* (Bullam) *Papae.* Initium: *Cum secundum fidem catholicam, Rom. 8. Timentibus deum omnia cooperantur in bonum* &c. Ad calcem aperte nominatur *venerabilis et euangelicus doctor Magister Johannes Wyklef.*

XXI. *fol.* 239. p. 2. *Tractatus*, ut in calce, *de christo et suo aduersario antichristo.* Initium: *Secundum katholicos Ecclesia est predestinatorum vniuersitas* &c. Aliud initium statuit *Baleus.*

XXII. *fol.* 246. *Forma iuramenti Arnaldi pape Thezaurarij.* Ita in membrana Codici praetexta. Initium: *Hec est forma iuramenti arnaldi de granario collectoris domini pape gregorij XI. in ecclesia anglicana* &c. Formulae subjicitur: *Hec facta sunt in pallacio Regis in Westmonast. XIII° die Februarij. Anno domini M°. CCC°. LXXII°.* et Nomina praesentium. Tum *Wiclefus* crisin in 10. Juramenti Articulos exerit, quam apud Bibliographos *citt.* non reperi.

XXIII. *fol.* 247. p. 2. e Membrana praevia: *De graduacionibus scolasticis.* Initium: *Cum scientia inflat secundum apostolum, dicit ergo christus, vos inquit nolite nominari rabi* &c. Non repertum.

XXIV. *fol.* 250. *Posicio discipuli M. Johannis.* Initium: *In materia de eukaristia est quedam posicio*